



Dissertatio juridica inauguralis de legatis

<https://hdl.handle.net/1874/342123>

21.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
L E G A T I S,
Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Autoritate Magnisci Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Priviliegiis ritè, ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subjicit.

JOHANNES HOUWAERT, Indus Orient.

A. D. 10 Junii, hora locoque solis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clc loc LXXXVIII.

*Nobilissimis, Amplissimis, Gravissimisque
VIRIS,*

D. D. CORNELIO vander MEER,
Domaniorum Comitatus Hollandiæ
& West-Frisiæ Auditori.

D. D. CORNELIO ab AERSSEN,
Toparchæ ab Hoogerheyde &c. Nec
non Hollandiæ Frisiæque Occidentalis
Questori Generali &c. Cognatis ac Tu-
toribus meis Fidelissimis, summo ho-
nore reverendis atque colendis.

Has studiorum primitias

D. D. D.

JOHANNES HOUWAERT.

Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGATIS.

THE S I S .

Quandoquidem præcipiente Cicero-
ne, omnis legitima rei tractatio à
definitione inchoanda est ; de Le-
gato ego pro modulo ingenii tracta-
turus, præmissa definitione nominis
ad rem ipsam accedam. Quod igi-
tur ad nomen attinet dicitur proprie-

*Legatum à Lege vel Legando. Le-
gare idem significat quod Mandare aut decernere :
unde Legatio & Legati dicti. Sumitur etiam vel Ge-
neraliter ut in heredis institutione , libertatis datione ,
Tutoris constitutione , l. 80. § 120. ff. de V. S. ut & in
Fideicommisso , l. 41. §. 6. ff. de Legat. 3. vel Specia-*

A 2 liter

4 DISPUTATIO JURIDICA

liter, pro iis, quæ directo particulariter relinquuntur. Atque ita rursus triplici modo. vel *pro Re legata*, ut in §. 1. *Inst. b. t. § l. 36. de Legat.* 2. vel *pro Titulo*, *Tot. tit. pro Legat.* vel *pro actu Legandi*.

I I.

Definitur primo Legarum ab Imper. Justiniano, quod sit *Donatio quædam à defuncto relictæ, ab Herede præstanda*. §. 1. *Inst. h. t.* 2. *Legatum* (inquit Florentinus) est *delibatio hereditatis, qua Testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum velit.* l. 116. ff. *de Legat.* 1. 3. Secundum Modestinum: *Legatum est donatio testamento relictæ l. 36. ff. de leg.* 2. Inter has tamen definitiones, illa, quæ est Imperatoris optima videtur.

I I I.

Legatum dicitur *donatio*, quia est liberalitas nullo jure cogente facta respectu illius cui Legatum relictum est. l. 6. ff. *si cui plus quam per leg. sc. particula quædam ostendit, non propriam esse donationem, sed impropriam.* *A defuncto relictæ verbis* sc. directis & Imperativis, *Do, lego.* *Titius capitulo sumito*, ad differentiam Fideicommissorum, quæ verbis precariis relinquuntur. §. fin. *Inst. de sing. Rebus per fideic. relinq.* *Ab herede præstanda.* Licet enim Legata-

gatarius, post mortem Testatoris sit dominus rei Legatae, l. 80. ff. de legat. 2. Attamen possessio ab herede est praestanda, quam Legatarius propria auctoritate occupare non potest. l. 1. §. 2. ff. quod legator.

IV.

Lègandi potestatem habent omnes, qui Testamenti faciendi Jus habent l. 2. de legat. 1. l. 1. §. 2. de legat. 3. Cui enim competit principale, eidem accessorium non est denegandum. Relinquentur Legata iis cum quibus est Testamenti factio passiva. §. 24. inst. eod. licet Activam non habeant. §. 4. inst. de Hered. qual. & diff. id est, non tantum, qui ipsi testamentum facere, sed & quicunque ex Testamento alterius capere possunt. Non recte legatur iis, qui è numero Civium Romanorum non sunt, ut deportatis l. 1. sup. de Hered. inst. l. 3. ff. de his Quæ pro non script. bab. nisi à milite, l. si deportati. 7. §. 1. ff. de leg. l. l. 13. §. 2. ff. de Test. Milit. iis qui apud hostes decesserunt. Nec etiam in metallum damnatis aut similibus legata relinqui non possunt.

V.

Legari possunt res omnes, propriæ, heredis, & alienæ, primo propriæ cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter. l. 21. Cod. Mandati. Sic etiam Res Hereditatis, quamvis Testatoris propria revera non sit, tamen

A 3

pro

DISPUTATIO JURIDICA

pro propria habetur, ut Testator de ea æque ac de re sua Testamento disponere possit. §. 4. *inst. b. t.* Ratio est, quia heres & defunctus pro una & eadem persona habentur, N. 48. *in f. præf.* Recte etiam Legatur *Res aliena*: Nam Legatum Rei alienæ subsistere ad hoc potest, ut Hæres eam redimere justo pretio, aut si non possit, æstimationem ejus præstare cogatur, modo tamen Testator rem alienam esse sciverit. §. 4. *inst. b. t.* l. 14. §. 2. *ff. de legat.* 3.

V I.

Legari adhuc possunt omnes Res quæ sunt in Commercio (*Commercium est emendi & vendendi libera facultas*) sive existant sive futurae sint, mobiles & immobiles, ut grex, supellex domus, fundus &c. Non autem Legatur talis Res cuius commercium non est, veluti Res Sacra, Sancta Religiosa, liber homo, res hostium, §. 4. *Inst. b. t. l. 39. §. 8. cum §. segg. ff. de legatis* l. ea omnia sunt ita inutilia, ut ne quidem æstimatio debeatur d. l. 39. §. ult. cum æstimatio non possit esse de iis rebus, quæ pretio æstimari ac vendi non possunt.

V II.

Legantur quoque Res quæ in rerum natura vel existunt vel licet nondum sint, futurae sperantur. Veluti fructus qui in illo fundo nati erunt, aut, quod ex ancilla

cilla natum erit. §. 7. *Inst. b. t.* Inutiliter Legantur ea, quæ non sunt in rerum natura, nec actu, nec potentia. Veluti si legetur Hippocentaurus, aut homo mortuus, quia harum rerum stipulatio inutilis est. §. fin. de inut. *stip. l. 108. §. 10. ff. de legat. 1.*

VIII.

Legantur porro Res Corporales, Corporales dicuntur ut fundus ejusque instrumentum, l. 12. per. tot. ff. de *Instrum. leg.* alimentum, tit. ff. de alim. leg. aurum, argentum, tit. ff. de aur. & arg. Triticum, vinum, tit. ff. de trit. vin. oleo leg. penus. tit. ff. de penu leg. Incorporales sunt; ut jura, servitutes. l. 41. princ. ff. de leg. 1. §. 21. *Inst. eod.* tam personales, tit. ff. de usufruct. leg. quam Reales, tit. ff. de serv. leg. liberatio, Tit. ff. de liberat. leg. pars hereditatis. l. 39. ff. de vulg. & pup. subst. l. 22. §. ult. ff. ad S.C. Trebell. vel bonorum. l. 6. ff. de legat. 2. l. 23. l. 26. §. 2. ff. de legat. 1.

IX.

Non denique legatur Res Legatarii propria, nisi sub conditione, si eam alienaverit. §. 11. *Inst. b. t.* Si vero alteri in re Legatarii jus competit, ut in pignore, heres rem liberare tenetur, aut si nondum pretium rei per Legatariumemptæ, & ei jam traditæ, solutum sit, heres id solvet. l. 86. ff. de leg. 1. arg. l. 34. §. 7. l. 84. §. 5. ff. eod.

8. DISPUTATIO JURIDICA

ff. eod. Et si Testator ipse jus in re Legatarii habuerit, eam legando, jus illud remisisse creditur. *l. 45. §. ult. l. 71. §. pen. ff. de leg. 1.*

X.

Relinquitur Legatum, Testamento, Codicillis & ab intestato, *arg. l. 1. ff. de leg. 1. & §. 3. Inst. b. t.* item *pure vel sub conditione*; non tamen eorum præstatio in arbitrium heredis conferri potest. *l. 43. §. pen. ff. de leg. 1.* nisi tanquam vini boni arbitrium consideretur, *l. 11. §. 7. ff. de leg. 3.* vel in diem, non quo Legatum debetur, sed quo peti potest. Vel etiam ante & post heredis institutionem. Idque ex ipsa juris veteris ratione, quæ in plerisque potius voluntatem, quam ordinem scripturæ sequi solebat. *arg. l. 12. Inst. ff. de leg. 1. l. 14. pr. ff. de leg. 2. l. 77. §. 12. eod.* etiam post mortem heredis, quod olim inutile erat, sed hodie postquam Legata fideicommissis per omnia & in omnibus exæqua-ta sunt, valet. *§. 3. Inst. b. t.*

X I.

Effectus Legati sunt. **I.** Quod Rei Legatæ domi-nium statim post mortem Testatoris transit ad Legata-rium. *l. 80 ff. de leg. 2.* Huic **2.** sequitur, quod omne commodum & incommodum rei Legatæ pertineat ad Le-gatarium. *§. 18. & seqq. Inst. de leg.* unde etiam si res perierit sine facto heredis, Legatario decedere dicitur *§. 16. Inst.*

Inst. h. t. modo tamen res certa aut species aut quantitas instar certæ speciei Legata fuerit. *l. 26. §. 1. ff. de leg. 1.*
l. 30. §. 4. ff. ad leg. Falc. 3. Quod Res, Legata alteri, nullo modo ab herede alienari possit. Esset enim durum, rem, quam quis pure in bonis suis non poscidet, eam ad alios velle transferre. *l. 3. §. 2. C. comm. de leg. l. 81. pro ff. de leg. 1.*

XII.

Quia nunc heres possessionem præstare tenetur, Legatus habet tres actiones, actionem personalem, rei vindicationem, & actionem Hypothecariam. *l. 1. Cod. Comm. de leg. §. 1. in fin. inst. hic.* personalis actio ex Testamento dicitur. *l. 69. §. fin. l. 82. Princ. ff. de legat. 1.* Nascitur ex quasi contractu. *§. 5. inst. de obl.* quæ ex quasi contr. ob aditam ab herede hereditatem. *Rei vindicatio* competit adversus quemcunque possessorem, si res certa sit legata, corpus vel species, non genus nec quantitas. *l. 1. Cod. comm. de leg.* item si res sit testatoris, vel heredis, non aliena. *Hypothecaria actio* datur non quidem in rem ipsam legatam vel heredis, sed in reliqua Testatoris bona. *l. 10. ff. ut in poss. leg.* contra quemcunque possessorem. *§. 7. inst. de action.*

XIII.


Adimuntur Legata duobus modis; *expressè vel tacite.* *Expressè*, si Testator Testamento, Codicillis aut

B

con-

10 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

contrariis verbis quibuscumque contrariam voluntatem declaraverit: idque dupliciter est, vel pure, *ut non do, non lego*. Vel sub conditione, *ut, si in militiam eat, non lego*. *pr. b. t. & l. 2. ff. eod.* Tacitè quando non ex verbis, sed ex facto aliquo, veluti alienatione voluntaria, §. 12. *inst. de leg.* item inimicitiis capitibus ortis, voluntas & pœnitentia Testatoris colligitur. *l. 3. §. fin. & l. 4. ff. b. t.* Tacitè etiam videatur adimi per translationem Legati de persona in personam veluti: *fundum, quem Titio legavi, Sempronio do, lego*. quod etiam procedit, quamvis Sempronius fuerit inhabilis persona, Titius vero habilis. *l. 20. ff. de Adim & Transf. legatis.*



C O



COROLLARIA.

I.

Princeps legibus est solutus.

II.

Tutela recte definitur Vis ac potestas.

III.

Tutela est Munus Publicum.

IV.

*Contractus in Testamento celebrari non
potest.*

V. Con-

V.

Consensus facit Nuptias.

V. I.

Vim Vi repellere licet.



V. I.

Consensus fit Diplomatio inter omnes

V. Com.